Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31712
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

iubet eos qui benedixerint. quia iam
predicandi ministerium subire. xliiii.
Ecclesia iussis obediens. obsecrat eum.
ad adiuuandos suos ceptus spiritales
sepius se in cordibus fidelium adhibere
presentem; Incipit liber. In
cantica canticorum. Ca. I.
Osculetur me osculo oris
sui. Quia meliora sunt ube
ra tua uino. flagrantia unguentis
optimis. oleum effusum nomen tuum.
ideo adolescentule dilexerunt te.
Trahe me post te. curremus
in odore unguentorum tuorum. Intro
duxit me rex in cellaria sua. ex
ultabimus et letabimur in te. memores
uberum tuorum super uinum. recti dili
gunt te. Item ecclesia. Nigra sum.
et formosa filie hierusalem. sicut taberna
cula cedar. sicut pelles salemonis.
Nolite me considerare quod fusca sim.
quia decolorauit me sol. Filii ma
tris mee pugnauerunt contra me. po
suerunt me custodem in uineis. uine
am meam non custodiui. Indica mihi
quem diligit anima mea ubi cubas.
ubi pascas in meridie. ne uagari
incipiam post greges sodalium tuorum.
Vox christi. Si ignoras te o pulcherrima
inter mulieres. egredere. et abi post
uestigia gregum. et pasce hedos
tuos iuxta tabernacula pastorum. Equi
tatui meo in curribus pharaonis
assimilaui te amica mea. Pulch
re sunt gene tue. sicut turturis et col
lum tuum sicut monilia. Murenu
las aureas faciemus tibi. uermiculatas
argento. Vox ecclesie. Dum esset rex
in accubitu suo. nardus mea dedit
odorem suum. fasciculus myrre
dilectus meus mihi. inter ubera mea com
morabitur. botrus cypri dilectus meus
mihi in uineis engadi. Vox christi.
Ecce tu pulchra es amica mea.
ecce tu pulchra oculi tui columbarum.
Vox ecclesie. Ecce tu pulcher es di
lecte mi et decorus lectulus noster flo
ridus. tigna domorum nostrorum cedrina.
laquearia nostra cypressina. Vox christi. Ca. II.
Ego flos campi. et lilium conuallium. sicut li
lium inter spinas. sic amica mea in
ter filias. Vox ecclesie. Sicut malum inter
ligna siluarum. sic dilectus meus inter filios.
Sub umbra illius quem desideraueram sedi. et
fructus eius dulcis gutturi meo. Intro
duxit me in cellam uinariam. ordinauit
in me caritatem. Fulcite me floribus;
stipate me malis. quia amore lan
gueo. Leua eius sub capite meo. et
dextera illius amplexabitur me. Vox christi.
Adiuro uos filie hierusalem per capreas
ceruosque camporum. ne suscitetis neque
euigilare faciatis dilectam quo
adusque ipsa uelit. Vox ecclesie.
Vox dilecti mei. ecce iste uenit
et saliens in montibus transiliens
colles. similis est capree hinnuloque
ceruorum. En ipse stat post parietem
nostrum. respiciens per fenestras. prospi
ciens per cancellos. et dilectus meus mihi loquitur.

8